

E P I L O G U S.

Diu multumque deliberavi, mi Lector, foetumne hunc meum; jam maturum, Theologorum tamen plurimis intempestivum monstrosumque apparitum, prælo subjicerem, atque in lucem protruderem; an verò apud me premerem, & in æternum tenebris damnarem. Ansam huic meæ deliberationi præbuere, animumque, quod se verteret nescium, suspensum tenuere commoda atque incommoda, quæ ex ejus divulgatione exoritura mihi videbantur, quæ, qualia quantaque sint, cognoscere cùm è re tuâ fore putem, ea brevibus hîc ob oculos ponere, non alienum ab institutô nostrô judicavi.

Incommoda igitur, ut de ipsis primò dicam, duo fuere, & quidem satis gravia, quorum alterum me, alterum Christianas concernit Ecclesias. In iis enim turbas hîc tractatu creatum iri, metuebam, cùm non tantum ferè omnia nova eas soleant excitare; Sed, quod præcipuum est, non aliquod hîc dogma leviusculum, exiguique in Religione ponderis ventiletur atque excutiatur, sed tanti, quod post S. Literarum auctoritatem in Christianâ primas procul dubiô tenet, adeoque fundamentum est ac basis cui, reliqui omnes tam fidei, quam morum articuli innituntur, & unde tanquam è fonte, profluunt ac derivantur. In quod, cùm omnes, quæ Christo nomen dedere, atque ad nostram pervenere notitiam, Ecclesias hallucinari, atque à veritate esse remotas, ostenderimus, fieri vix posse videtur, quin in iis quidam suum errorem agnoscentes & deponentes, demonstratamque à nobis veritatem amplectentes, sententiam mutent; Alii verò, qui acceptis suis opinionibus lucri vel honoris causâ & spe, aut cæcō impetu, aut obstinatô animô mordicus adhærescant, ægerrimè ferant. Inter quos idcirco, illis nostrâ, cui recens accessere, sententiam propugnantibus, his contrâ, inveteratam defendendô, oppugnantibus, dissensionis contentionisque funis duceretur, & quemadmodum in Religionis negotiis fieri afolet, acerrimè, tanquam pro aris & focis, & summa vi atque impetu dimicaretur, non sine maximô Christiani nominis damnô atque dedecore.

Mihi verò, quod imminet, incommodum est Theologorum, meam sententiam improbantium ac rejicientium, odium, quod acerbissimum, cujuscemodi flagrare iis in more positum est, procul dubiô in me concitabo. Cùm enim ita ferè cùm hisce hominibus comparatum sit, ut supra omnes doctos sese efferant, utpote qui sibi solis eloquia Dei esse concredita, atque interpretanda, divinumque commissum cultum firmissimè persuasum habent, illicò exardecunt atque stomachantur, si quis alius falcam suam in illorum messem mittere audeat: &, cùm nihil non veritati examinissim consonum, & ab omni erroris confortiô longissimè divisum quilibet illorum